Disputatio medica inauguralis de potu frigido ... / [Ernst Christoph Wolff].

Contributors

Wolff, Ernst Christoph, active 1697.
Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Gollnerianis, [1697]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/eu7daveu

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPVTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE

POTV FRIGIDO,

QVAM

DEO TER OPT. MAX. JVVANTE,
INDVLTV ILLVSTRIS ET GRATIOSISSIMI MEDICORVM COLLEGII,
SVB PRÆSIDIO

RVDOLFI GVILIELMI
CRAVSII, Hæreditar. in Mellingen/
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. PRAX. ET CHYM. P. P.
ORDINAR. FACVLT. MEDIC. SENIORIS VENERANDI, ET S. R. I. A. N. C. COLLEGÆ PRIMARII,
PATRONI, RRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SVI, ÆTERNO HONORIS ET OBSERVANTIÆ CVLTV DEVENERANDI,
PRO
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA
LEGITIME IMPETRANDI
LICENTIA,
PVBLICO PLACIDOQVE PHILIATRORVM EXAMINI HORIS ANTE ET POMERIDIANIS SUBMITTET

ERNESTVS CHRISTOPHORVS Wolff/
OHRDRUV. THVRING.

In Auditorio Majori,
Ad diem Maj. Anno M DC XCVII.

JENÆ, LITERIS GOLLNERIANIS.

6a 7.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

SOLVTIVO FRIGIDO,

QVAM

DEO TER OPT. MAX. IVVANTE,

AVSPICIIS INCLYTI ET SVPERIORISSIMI

MEDICORVM COLLEGII,

SVB PRAESIDIO

VVOLFII GVILIELMI

CRAVSII, Medicinae Doctoris,

PHYSICES ET MATHESEOS PROFESSORIS, ET CHYMIAE P. P.

ORDINARII, NOVITER MEDICIS SENIORIBVS VENERANDI, ET SVPERIORIBVS COLLEGII

PRIMARII,

PATRONI, PROTECTORIS ET PROMOTORIS SEMPER AETATIS NOSTRAE OBSERVANDI, CLARISSIMI

PRO

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS

LEGITIME CONSEQVENDIS,

LICENTIA,

PRAESIDIO DEI OPTIMI MAXIMI

TOTIVS ANTIQVI ET NOBILISSIMI

SENATVS

CHRISTOPHORVS SCHOLTZ,

CHORLAVIENSIS TIRONIS,

In Auditorio Maiori,

HORIS ANTEMERIDIANIS

DIE XXVII. MENSIS DECEMBRIS

ANNO MDCCXXVII.

J. J.

PRoposuimus nobis, benignissimi DEI ope, atque subsidio adjuti, loco speciminis inauguralis POTVM FRIGIDVM *diæteticè* considerare, occasione datâ ab amicis, qui moverunt quæstionem: AN POTVS FRIGIDVS SALVBRIOR SIT CALIDO?

Quia vero instituti nostri jam non fert ratio prolixè de hâc materiâ disserere, rem ipsam, absque ullis verborum antipagmentis, aggrediemur.

FAXIS, DEVS, VT FELICITER!

Vt in proposito nostro expeditiùs progredi possimus, ante omnia quid per POTVM? & quid per FRIGIDVM? hôc locô nobis intelligendum veniat, paucis indicabimus.

Vocula POTVS à *Græcis* videtur mutuata, qui dicunt πότος, item πότον, à πίνω, *bibo*, id est, potum assumo, vel *poto*. Quanquam verò *bibere* propriè sit *modicè, & ad naturæ necessitatem* potum assumere; *potare* autem *affluenter*, & *ad ebrietatem* potione repleri, ut ita *bibere sani*, *potare ebriosi* dicantur; nobis tamen, prout aliis concessum videmus, *potare* & *bibere* hîc erunt *Synonyma*, & utrumque in *bono significatu* sumere licitum erit.

Solet quidem etiam *potus* interdum πόμα & πόσις, *potio* dici, sed, quantum nobis videtur, hâc cum differentiâ, ut πότος καὶ πότον & *potus* in *diætetico*, πόσις verò, πόμα & *potio* in *pharmaceutico* usu frequentiùs locum inveniat, ubi *potiones medicantes*, v. g. alterantes, purgantes, τραυματοπόματα, seu potiones vulnerariæ &c. inter usuales medicamentorum formulas, maximè ubi refrigerandum est, v. g. in æstu febrili temperando, reponuntur. *Sylvio* potiuncularum formulæ præ aliis arriserunt, sicut ex hujus laude dignissimi Viri scriptis abundè constat. *Veteres* plerumque *purgandi fine* potiones ordinabant. Sic *Lucius Apulejus* vocat *po-*

tionem sacram solutivam illam medicinam, quam *Galenus* ἱερὰν πικρὴν dixit.

Etsi verò sub τοῦ πόσου & *potus nomine* haud rarò ἁπλῶς comprehendantur omnia illa alimenta *humida*, quæ adeò *liquida* sunt & *fluida*, ut vel potari, vel saltim sine notabili masticatione, sorptu, aut haustu deglutiri possint, v. g. juscula varii generis, brodia carnium, decocta galli, caponum, item contritæ & comminutæ carnes caponum, perdicum, gelatinæ, intrita, cremor hordei, avenæ, ova tremula, lacticinia & similia, quæ, quia multum nutriunt, & stomacho minus negotii in digerendo facessunt, ab *Hippocrate Aph. II. Sect. 2.* de virium, in reconvalescentibus, reparatione expeditiori loquente, sub *potus* vocabulo intelliguntur; Nobis tamen hôc locô sumitur in *specialiori*, sed usitatissima illa significatione, quâ denotatur ille potus, qui *communiter à sanis in quotidiano victu* & vita, potissimùm inter prandendum & cœnandum, *sitis*, non voluptatis solius gratiâ, ex fictilibus, ligneis, metallicis, vitreis, aut aliùs materiæ vasis assumi solet, sive sit aqua, sive cerevisia sive vinum &c.

Frigidum dicitur à *frigore*, & hoc à ῥίγέω, *rigeo*, *horreo*, quod intensum frigus rigiditatem quandam inferat.

Frigus omnes quidem, & interdum, sicuti hâc hyeme sæviori contigit, nimium quantum sentimus; sed *quid sit?* nescimus. Vides enim, *an* frigus rectè ab effectu illo accidentali, quod sit qualitas congregans homogenea & heterogenea, definiatur? *an* verò sit privatio, & solùm absentia caloris? aut, *an* ab ætheris, & hinc, durante calore motarum in corporibus particularum subtiliorum motu minus expedito, sed magis impedito, aut earum quiete proveniat? *an* staruendum sit, frigus non in eô tantùm consistere, quod rerum particulæ à motu quovis cessent; sed dari certas quasdam particulas frigorificas, ita, ut frigus aliquid positivum sit? valdè ab Autoribus controverti.

Nos non ausimus hîc aliquid determinare, videntes spatiosiorem, profundiorem & verticosiorem esse oceanum illum, quàm qui exiguâ lacerâque ingenii nostri lintre superetur, cum etiam ipsissimus, quantumvis licet ingeniosissimus naturæ scrutatur *Boyle*, post conscriptum *de frigore* integrum volumen, *quid sit frigus? nondum sibi constare*, fateri non erubescat.

Si ta-

Si tamen aliquid *conjecturâ* assequimur, non adeò incongruè *caloris* & *frigoris* ratio per *motum* explicatur; ita, ut *calor in ætheris*, omnia in hôc universô replentis, & *particularum subtilissimarum*, & minutissimarum, maximè in humano, salino sulphurearum, *Hippocrati* ἐνοεμῶντα μόεια, *impellentia corpora* dictarum, *motu*, in se vario, debito tamen, & huic vel illi corpori conveniente, & continuô consistat, à quibus, dum simul fibrillæ tactui inservientes, per cutim, membranas & tunicas hinc inde dispersæ, blandè afficiuntur, sensus caloris blandus in corporibus, quò verò rapidior, celerior, confusus & efferatus magis ille motus, imprimis autem *sulphuris à sale volatili* rarefactio & expansio auctior fuerit, eò, pro ratione *gradus motus* impetuosioris, celerioris, & efferacioris, major & intensior calor, æstus, effervescentia, ebullitio, accensio & inflammatio, & maximè in hominis visceribus, totoque corpore emergit.

Medicis enim ex causarum morbificarum investigatione, earumque & morborum remotione, seu curatione satis innotescit, *non tantùm*, quod *caloris* in corporibus humanis *causa & gradus*, à gradibus volatilitatis, & expansivæ, dictarum particularum minutissimarum, salino sulphurearum, roscidarum rarefactionis & agitationis impetu dependeant, cum manifestè deprehendant, quod, quò plures sanguini insunt particulæ spirituosæ, & quò majori volatilitate illæ præditæ fuerint, eò major quoque calor in sanguine & corpore offendatur; *sed etiam* quod omnia, quæ ebullitionem, & fermentationem, spirituumque motum rapidiorem excitant, infallibiliter & immediatè calorem in corpore humano adaugeant. Vident quoque, si vel ab *externâ*, vel ab *internâ* quâdam occasione aut motus imprimatur spiritibus & humoribus fortior, aut inferatur calor ab igne, vel assumtis rarefactivis, sive sit cibus, sive potus, sive etiam medicamentum &c. calorem manifestissimè intendi.

Hinc est, quod prudentiores tàm *cauti* soleant esse in ordinandis *salibus volatilibus*, ubi sanguis in corpore ebullit, corpus calore & ardore affligitur, sanguisq; bilosus ac tenuis existit, & quidem tàm in *simplicibus*, quàm & maximè *oleosis*, ac *valdè odoratis*; quia nempe, ut *valdè ætherea & elastica*, citius subeunt, activiora sunt, humoribus calcar addunt, &, dum sanguinis, ut & aliorum humo-

rum *intestinum* & *localem motum* rapidiorem, ac confusum faciunt, in iis, quorum genus nervosum subtilius est, & delicatius, sanguinisque textura rarior & subtilor, si intempestivè adhibita fuerint, spiritus & humores facilè efferare, in fermentum & ὀεγασμὸν conjicere, & calorem augere valent.

Inde quoque est, quod, si *in febribus ardentibus* à practicis imperitis, vel aliis temerariis medicorum similis *incautè* propinata fuerint *salia volatilia*, vel *oleosa*, vel *simplicia*, immensæ *anxietates* & *æstus* circa præcordia excitentur; nimirum quia ob sanguinem, à salibus dictis sic magis diditum, elasticum & expansivum redditum, vasa circa cor vehementius distenduntur, hâc autem ultra sphæram suam expansione, molesta illa circa præcordia anxietas & æstus producitur. Sic notum quoque est, eadem salia non æquè tutò concedi *hystericis* & *hypochondriacis*, nisi hi genus nervosum minus delicatum habeant, quia impetuosius spiritus & sanguinem commovendo, anxietates, æstum, sicque paroxysmum sæpè exasperant. Quemadmodum etiam eadem hæc salia volatilia, quamvis maximoperè commendentur *in malignis*, meritòque, ritè exhibita, laudanda sint; nisi tamen prudenter regantur, pestiferum calorem, ebullitionem & hæmorrhagiam inducere solent.

Sicuti autem ratio formalis, *caloris* vel majoris vel remissioris in corporibus, imprimis in humano, ab ætheris, ac particularum subtilissimarum salino-sulphurearum, seu spirituosarum *motu*, & agitatione, aut remissiori, aut intensiori dependet, &, ceu dictum, quò magis hæ in sanguine abundant, quoque sulphur à sale volatili magis exaltatum & expansum est, eò major calor evadere solet; ita è contra, cum contrariorum eadem sit ratio, quò magis *quietæ*, aut *pauciores* dictæ particulæ adfuerint; item, quò minus expeditus, aut, si impeditus, suppressus, subjugatusque illarum *motus* ordinarius fuerit, ut & quò minus *sulphur* in sanguine & partibus à sale volatili fuerit *expansum* & rarefactum, eò major quoque recessus aderit à calore, indeque *frigus*, hujusque gradus exoriri, admodum probile est.

Medici nempe vident, omnia, quæ dictas *particulas volatiles*, nimium agitatas *demulcent*, *coërcent*, *domant*, remorantur; *Salia*, sulphur nimiùm expandentia *diluunt*, *figunt*, *implicant*, *obtundunt*, *inviscant*, & quasi in compedes conjiciunt, sicque *motum* harum

vel

vel *moderantur*, vel *tardant*, vel *inhibent*, ea *caloris* quoque *intemperiem moderare, compescere, subprimere*, verbò, *refrigerare:* Nec posse paroxysmos à *salibus volatilibus*, imprimis *oleosis exasperatos* felicius & citius compesci, quàm medicamentis salia volatilia figentibus & diluentibus, inter quæ magnam laudem merentur *acida nitrosa*, & imprimis *spiritus nitri dulcis;* quemadmodum etiam alia acida, interdum quoque oleosa, inviscantia, aquea, item terrea, pro rei exigentia refrigerare possunt.

Ex hactenus propositis nunc elucescit, unde calor & frigus in corpore humano proveniant, & quæ corpori nostro qualitatem *calidam* & *frigidam*, *moderatam*, *commodam*, *gratam*, *convenientem* & *necessariam*, ut & quæ *nimiam*, *noxiam*, *molestam* & naturæ *contrariam*, ac *destructivam* inducere valeant. Inquirendum igitur jam restat, quomodo *calor*, unde vitam dependere dicunt, in suo *æquilibrio* conservetur?

Vita nostra, ex communi consensu, non nisi continuus quidam particularum subtiliorum spirituosarum, hinc sanguinis & reliquorum humorum *motus est*, à quo *calor* corporis, vitæ individuus comes, unicè fit, continuatur & conservatur; Nec *sanitas*, quæ non, nisi *vitæ* quædam *integritas* est, ab alio, quàm ab eôdem hôc partium fluidarum, secundum naturam se habentium *motu & calore temperato* effectivè dependet. Verùm enim verò, cum vi hujus motus in naturali statu continuò perpetuati, non solùm *ipsæ subtilissimæ particulæ* volatiles & vitales omni momento dissipentur, avolent, paucioresq; fiant, sed etiam simul *roridas* ex omnibus partibus secum extra poros corporis in perenni trans- in- & exspiratione abripiant, abducant, & expellant; calor verò naturalis, qui *igneæ* naturæ & *vorax* esse dicitur, inde ortus, humido necessario, quo aliàs temperatur, spoliatus, ardentior & vehementior evadat; & accedentibus quotidiè causis tùm internis, tùm externis non naturalibus, sanguinis & humorum fermentativum motum majorem & rapidiorem reddentibus, *major*, voracior & ardentior fiat, hinc verò sanguinis accensio, incoctio, succi nutritii absumtio, hancque necessariò insequens atrophia & rarefactio, imò ipsa mors presso pede insequerentur, nisi in tempore auxiliis & remediis aptis ferocienti motui obviam iretur, calori frenum injiceretur, & refri-

refrigerantibus ſuccurretur; Proinde oppidò liquet, quàm *neceſſarius* ſit, non tantùm *quotidianus paſtus*, & nutritionis materiale, *humidum*, ex quô, tanquam elemento proximiori *originaliter* & *materialiter* partes omnes conſtant, cujusque ſolius, in locum, omni momento, abſumti, adpoſitione, adglutinatione & adſimilatione nutritio corporis abſolvitur; ſed etiam *uſus* quotidianus temperatè *frigidorum*, & *infrigidantium*, ſobriâ manu adſumtorum, utpote quibus *calori*, ad *intemperiem* declinanti, & *ſanitate calidiori* evadenti, *modus* dicitur, nimio vel facto, vel futuro frenum injicitur, & calor optimè contemperatur. Verbò, patet ex his, quàm utilis, neceſſarius & naturæ gratus ſit *potus frigidus* temperatus, de quô nobis hîc unicè ſermo eſt; & ex adverſo, quàm noxius ſit *intempeſtivus calidus potus*, utpote qui calore ſuo ſanguini, aliorumque humorum motui quaſi calcaria addit, eos rapidiores facit, glutinoſiores nutribiles partes incidit, attenuat, ſicque fluidiores & tenuiores, quàm ad adglutinationem & nutritionem requiritur, reddit, & inſimul notabiliori humidi evacuationi per ſudores, urinas &c. anſam dat.

Hisce præmiſſis rem ipſam aggredimur, POTVMQVE FRIGIDVM dicimus eſſe *ſubſtantiam aquoſam & fluidam, ſuæ naturali temperiei relictam, ſitis naturalis, in quotidiano victu, extinguendæ, & vitæ, ſanitatisque conſervandæ gratia ſine maſticatione, hauſtu deglutibilis.*

Potum frigidum vocamus *ſubſtantiam*, quam nemo ſanus ipſi negaverit, cum videat *omnem potum*, etiam *aquam*, eſſe *corpus* reverà ex *particulis terr-aqueis*, in ſpumatione & congelaſcentia imprimis conſpicuis, miſtum. *Sale*, *ſulphure*, particulisque pinguibus, viſcidis, glutinoſis &c. potum abundare, *color*, *odor*, & *ſapor* in potulentis varius & diverſus ſatis docent; imò aquam vulgarem & ſimplicem *ſal cryſtallinum fixum* & *volatile*, *ſal aquæ*, & *balſamum univerſale* dictum continere, refert *Balduinus* in *tract. aura auræ. p. 167.* Ut de *corruptione*, *vappeſcentia*, *aceſcentia*, *fermentatione* & *putredine*, quibus potulenta omnia, æquè, ac alia miſta ſubjecta ſunt, nihil dicamus; quæ verò omnia potum corpus, adeoq; jubſtantiam eſſe, ſatis evincunt. Deinde, quod potus revera ſubſtantia ſit, exinde etiam probari poteſt, quod *ſubſtantificè* corpori noſtro in nutritione adponatur.

Licet

Licet enim potus ὄχημα τῆς τροφῆς dicatur, & à veteribus plerisque, forsan intuitu aquæ, quæ ipsis plerumque sola in potum cedebat, pro *vehiculo* tantùm *alimentorum*, non verò pro ipso nutriente, & de suâ substantiâ corpori aliquid communicante, habitus fuerit; (quàm rectè, hîc non disputabimus.) Existimamus tamen, negari non posse, potulenta, *inprimis quæ Europæis hodie usitata*, v. g. cerevisias, vina, etiam reverà ut alimentum, quoad crassiores, glutinosiores, pinguioresque partes, quibus utplurimùm abundant, *substantificè* in nutritione adponi. Imô potulenta magis promptè appetitui & nutritioni satisfacere, exinde colligi potest, quod non tàm humidi & solidi, quàm *humidi substantifici*, seu, cujus substantia in substantiam partium cedere, & mutari apta est, *desiderium* natura ad nutritionem urgeat; cum verò *potulenta* tali *humido substantifico*, ut materiali nutritionis, huicque ratione digestionis & distributionis valdè velificante, *præ solidis cibis*, abundent; hinc non solùm ordinariè majori cum voluptate ab appetitu assumuntur, sed etiam facilius & felicius nutriunt, effato *Hippocratis* supra laudato *aph. 11. S. 2.* ῥᾶον πληροῦσθαι ποσῷ, ἢ σιτίῳ, *facilius est reficere potu, quàm cibis.*

Diximus autem hanc potus substantiam *aquosam*. *Pindarus* ἄριστον ὕδωρ haut inconsideratè dixit. Quamvis enim nobis non satisfaciant illi, qui *nullum, præter aquam esse elementum*, eamque gignendis & alendis corporibus unam & solam sufficere, ac nullum ferè corpus in aquam ultimò non resolvi statuunt; Verissimum tamen est, nullam ex omnibus rebus tantum habere *ad usum necessitatis*, quantum *aqua*, utpote sine quâ nec corpus animalium, nec ulla cibi virtus potest nasci, nec se conservare, nec parari. Siquidem omnia & singula, medio substantiæ aquosæ, fiunt, nutriuntur, augentur & conservantur. Inprimis verò *nullus* datur *humor*, qui humidum suum aquæ non debeat; *Aqua* enim *est elemendum humidissimum*, & quoties humiditas aliqua in corporibus occurrit, toties aqua subest: nec datur *potus*, qui non sit aut ipsa *aqua simplex*, aut plurimum de substantia *aquæ* mutuet.

Nam, licet vix recenseri possint diversissimi isti, & varii *liquores*, quos homines in communi victu & vita hinc inde ordinariè potu hauriunt; sunt tamen potissimi *apud Europæos* vel ipsa *aqua cruda*, simplex & pura, Adami, Evæ, Sethi, Enos, cæterorum-

que patrum, qui nongentos annos vixerunt sani & validi, usque ad Noham, qui vinum invenit, nectar unicum, quæ, ut est naturalissimus & universalissimus potus, ita illis, qui ipsi adsveverunt, salubris est, & à multis gravioribus morbis præservat. Vel *aqua cum frumentis* variis in *cerevisiarum* innumeras species *decocta*, vid. *Thaddæus Hagecius tract. de cerevisia c. 1. p. 10. & seqq.* Vel cum *fructibus fermentata*, ut *Lora* &c. Vel *aqua cum melle* in *mulsam* parata, plurimum inebrians, quæ Polonis & Lituanis in magnis est deliciis, quorum, aliorumque plurium potulentorum potissima materia est aqua simplex. Vel *vinum*, quod *tùm in se*, & ita, ut ex vite natum, etiamsi sit *generosum*, & πολύφορον οἰνώδες *Hippocrati* dictum, *multum* tamen de *aqua* substantia participare; si verò *tenuius* & vulgarius, ὀλιγόφορον dictum, sit, plus, imò dimidiam, aut etiam maximam partem suæ substantiæ aquæ debere, etiam ciniflones chymicorum ex destillatione variorum vinorum, & rectificationibus spiritus vini norunt: Tùm etiam *additione* simplicis *aquæ*, interdum magis aquosum redditur, & hinc vinum *lymphatum*, item *aquatum* dici solet.

Fit autem *admistio aquæ vino* hodie primariò duobus modis; aut enim statim *musti tempore* hoc cum aquæ parte unâ, duabus, imò tribus miscetur, ut ambo simul confermententur in vinum tenue, *Italis*, maximè *Paduanis* & *Venetis*, quibus talis potus familiaris & ordinarius est, *vin piccolo* dictum, licet ultra annum vix servari possit; aut quod in *Galliâ* magis usitatum, jubentur ii, qui à cyathis stant, vino in vitris ebibendis, ad diluitionem plus, minus, pro lubitu bibentis, aquæ simplicis affundere. Estque hic modus *vinum cum aquâ miscendi* & *temperandi*, ut ad sitim extinguendam, & sanitatem conservandam potentissimus, ita & antiquissimus, *Homero* olim & *Hippocrati* optimè notus. Ille *Maroneum* vinum, in Thraciæ maritimâ parte genitum, vicies tanto addito aquæ miscendum prodidit. Et *Mutianus*, præsens in eo tractu, ut refert *Plinius nat. hist. l. 14. c. 4. p. m. 245.* sextarios vini singulos octonis aquæ miscuit. *Hippocrates* autem vinum *Thasium*, misceri cum aquæ partibus viginti quinque voluit; sine dubio, ut, cum vinum *Thasium*, quod cum *Chio* maximè celebre erat, & *valdè generosum*, adeoque aquam plurimam sustinere poterat, temperaretur, tùm ægris, tùm ipsis sanis. Hinc quoque illa *divisio* orta

est

est *vini* in ὀλιγόφορον, & πολύφορον, vid. *Gruterus in Criticis tom. 3. p. 589.* Nec tamen ob solam *generositatem*, sed etiam ob *amaritudinem* vina veterum aquâ attemperata fuisse, innuit laudatus *Plinius l. c.* dicens. Nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque *in amaritudinem* carie indomita. Ex quibus apparet, *necessitatem* priscos adstrinxisse, ut aquam vino miscerent. Miscebant autem hi non tantùm vinum cum aquâ, sed etiam *excaldatum* bibebant, cui quidem ansam dedit, primò *luxus*, dehinc etiam *necessitas*. Solebant nempe priscorum primates & ditiores vinum *non novum*, aut annuum, bimulum, trimulum, nec decennale &c. *sed valdè inveteratum* bibere. Nam, quia *Plinio teste*, apud *ditiores* ac nobiliores *Romanos* is maximè luxus viguit, ut omnibus in rebus à pauperibus ac plebejis vi pecuniæ differre voluerint, etiam opes differentiam faciebant in cibo & potu, & *quoad potum* hæc apud illos vigebat consuetudo, ut, ceu idem refert *l. 19. c. 4. p. 350. vina inveterarentur, saccisque* deinde *castrarentur;* nec cuiquam adeò longa erat vita, ut non *ante se genita vina* potaret. Imò ex eodem *Plinio l. c. l. 14. c. 4. p. 245.* manifestè apparet, vina apud priscos ad *aliquot centum annos* adservata durasse, & tandem in speciem redacta *mellis asperi* fuisse; Cum igitur propter nimiam *inveterationem* & *crassitiem* vina potari non possent, res ipsa postulabat admiscere aquam, & quidem *calidam*, ut nimirum ab *aquâ*, ratione *humiditatis*, suæ, vina diluerentur, & temperarentur, ratione *caliditatis* verò vina crassa citius & melius *adtenuarentur*. Atque hæc ipsa est ratio, quod, dum de antiquorum *cænis* agitur, *calida* tàm sæpè nominetur, ad *diluenda* scilicet & *attenuanda* inveterata, & à *natura* vel *arte crassefacta* vina.

Ex hactenus enarratis patet, omnia, in potu adhiberi solita, esse *aquosa;* sicuti autem nullum nominari potest potulentum, quod non de aqua vel multum, vel parum participet; ita omnis *potus* verè dici meretur *aquosus*.

Quod autem aquoso in definitione adjunxerimus τὸ *fluidum*, haut frustrà factum. Est enim (1. illud *aquæ*, tanquam *primi humidi*, suo termino contineri nescii, sed diffluentis, *proprium*, &, quæ potari debent, ea in os & fauces ex cantharo, poculis, vitris, aut similibus instrumentis declinatis effusa, sine masticatione, & sine

morâ per œsophagum in ventriculum, continuâ serie, & ἀθρόως deglutiri & fluere debent. (2. *Non omne*, quod *aquosum*, *potui aptum est*. Dantur quidpe variæ res aquosæ, quæ, licet *multum*, imò plurimùm *succi* & *aquei* in se contineant, non tamen potari possunt, ideò, quod *non fluidæ* sunt. v. g. cucumeres, melones, cucurbitæ, pepones, poma vulgaria succulenta, & citria, ac aurantia, it. pyra & pruna succulenta, uvæ, cerasa &c. Hæc omnia sunt quidem aquosa, copiosissimoque succo abundant, sed, nisi aquosum illud, seu succus fuerit expressus, extractus, aut alio modo elicitus, in potu adhiberi, vel instar potus bibi non possunt.

Intelligimus autem hoc loco per potum frigidum talem substantiam aquosam & fluidam, quæ *suæ naturali temperiei* relinquitur, hoc est, potum, prout natura ipsum administrat, & suggerit. Atque sic exclusum volumus potum, non tantùm *arte calefactum*, sive id fiat radiis solaribus, aut aëri æstivo potulenta exponendo, sive ignis torturæ illum tradendo, sive alio modo excaldatum; sed etiam illum potum *frigidum*, cujus frigus ordinarii, ut & naturalis nostræ temperiei limites longè transgreditur, & ab extra, v. g. à nive, glacie immoderatius additur.

Consulendi autem hîc essent physici, & ex illorum doctrinâ, *quale temperamentum aquæ*, utpote, quæ radix & fundamentum omnis potus est, *ex sua natura* insit, petendum esset. Verùm sumus hîc iterum in bivio, ut Hercules quondam, constituti, quorum vestigia nobis sint legenda, summoperè titubantes; invenimus enim tot ferè, quot capita, sententias.

Qui συζυγίας seu *combinationes naturales quatuor primarum qualitatum*, & ex horum numero quaternarium elementorum deducere, & probare volunt, in aqua *frigidi & humidi* combinationem esse statuunt. Ast, cum ardua & gravissima hîc inter ipsos Peripateticos occurrat controversia de *frigiditate aquæ*, aliis frigiditatem *in summo gradu* & absolutam *aquæ*, aliis *terræ* tribuentibus, & utraque sententia habeat patronos theologos & philosophos egregios, rationesque non contemnendas, quid nunc agendum?

Etiamsi verò has lites determinare hûc non spectet; si tamen nostras conjecturas hîc exponere licitum, fatemur rationes mul-

tas

tas inveniri, quæ ſummam, & abſolutam frigiditatem aquæ tribuere vetant. Nimirum.

(1. Si aqua *naturâ ſua* in *ſummo gradu*, & *abſolutè* frigidiſſima eſſet, ſequeretur aquam *in ſuo naturali ſtatu* ſemper debere *congelatam* & *glaciatam*, ideoque non humidam & madefacientem, ſed quaſi ſiccam, ſummèque denſam eſſe. Nam frigus ſummum, ut notum eſt, rigiditatem & madefactionem, quamdiu aqua glaciata eſt, ipſi tollit, ſicque ſiccat & denſat. Aſt cum nemo non videat, *aquam* in *naturali* ſuo ſtatu eſſe *humidam* & *fluidam*, *mollem*, *madefacientem* &c. quæ omnia ſummam & abſolutam frigiditatem aquæ *per ſe non* ineſſe evincunt, hinc concludimus, aquam, prout natura eam ſuggerit, non frigidiſſimam, ſed *moderatè* tantùm & *temperatè frigidam* eſſe.

(2. Ubicunque *ætheris* & aliarum *minutiſſimarum* in corpore *particularum motus*, naturaliter, liberè, minusque impeditè procedit, ibi ſine dubio calor debitus naturalis, moderatus, aut ſaltim non adeò ingens, ſed temperatum frigus ineſt. Sed in *aqua* ſibi relictâ, tanquam corpore valdè poroſo, & ætheris, aërisque admiſſioni liberiorem aditum concedente, dictarum particularum minutarum motum liberum, non impeditum, imò quodammodo rapidum ineſſe, *aquæ fluiditas*, ut alia hîc prætereamus, ad oculum demonſtrat. Ergò aqua *non* erit *frigidiſſima* in *ſummo* frigoris gradu, & *abſolutè*, ſed tantùm *temperatè* & *moderatè frigida*.

Fluidum quidpe illud tantùm eſt, cujus particulæ minutiſſimæ in perpetuô variôque inter ſe motu, rotatione, fluctuatione & colliſione conſtitutæ ſunt; Nec quidquam fluidum reddi poteſt, niſi in minutiores partes, ad motum aptas, & hæ in motum redigantur; Quemadmodum etiam pro diverſitate motus aucti, v. g. à calore ſolis, aut ignis vehementiore, vel leniore, res fluidæ fluidiores redduntur & ebulliunt.

Motum porrò perpetuum ætheris & particularum minutiſſimarum, ſi quid aliud *in aquâ* probat continua illa *exhalatio vaporum*, ſive atmoſphæra humida, circa fluvios, lacus, ſtagna &c: reperiunda, quæ vaporum aqueorum congeries nebuloſum illud, quod inprimis circa veſperam ab ingruente frigore, aut matutinô tempore condenſatum, aut aliàs à ſolis radiis impeditis non attenua-

tum, propè aquas conſpicitur, conſtituit. Inde quoque, qui prope lacus, ſtagna, fluvios, rivos majores &c. habitant, plerumque habitacula corporis & animæ humiditate, rei domeſticæ & ſanitati noxiâ imbuta & infecta eſſe, experiuntur & conqueruntur.

Non negamus igitur aquam *reſpectivè* frigidam eſſe, ſed hanc frigiditatem, *quamdiu aqua ſua naturali temperiei* relinquitur, *moderatam*, & *temperatam* eſſe, exiſtimamus. Nec *concreatam* eſſe aquæ ſummam frigiditatem, forſan exinde probari poſſet, quod, poſito, veras eſſe, quemadmodum probabiles ſunt, quorundam conjecturas, *mundum in menſe Abib*, qui *primus* menſium anni divinâ inſtitutione *Exod. 12. v. 2.* numeratur, & *Martio* & *Aprili* Romanorum reſpondere traditur, creatum eſſe, non potuerit tunc, quia neque nix, neque glacies, ut de ſolis poſitu nihil dicamus, tunc temporis fuit, neque in vere eſſe ſolet, aqua fuiſſe frigidiſſima. Sed nolumus hanc controverſiam noſtram facere.

Si quando ergò aquæ interdum ſummum *frigus* ineſt, idipſi non ineſt *ex ſua natura*, & ſecundum *naturalem ſuam temperiem*, ſed *frigidiſſima* fit tantùm *per accidens*, accedente nimirum quodam *ab extra*, frigiditatem majorem & maximam aquæ inducente.

Quid autem illud, frigiditatem ſummam aquæ & aquoſis, quam in congelaſcentia & gelu deprehendimus, inducens, ſit? & *unde* proveniat? nondum ſatis inter phyſicos conſtat. Nec volumus, quia huc directè non ſpectat, in id ſcrupuloſius inquirere. Si tamen, quid conjectemus, adponere licitum, videtur, ſalvis aliorum, rectius forſan ſentientium, judiciis, *illud aquæ extrinſecè adveniens* neque ætheri, neque aëri *per ſe* ineſſe, ſed ſolùm ipſi interdum adeſſe, hoc eſt, dari *particulas certas*, *valdè ſubtiles*, (cum poros ſtrictiores vitrorum penetrare poſſint,) *haſti- & vitroformes*, (unde gelationes incipiunt per majora ſpicula, aquæ ſuperficiei innatantia) *frigorificas*, quæ, in aëris vehiculo adpropinquantes primò ambiendo, & in rerum ſuperficie fluctuando, deinde verò intra poros aquæ & aquoſorum penetrando, & ſe penitius inſinuando, motum ordinarium fluidarum particularum inhibent, his quietem inducendo, aqueum denſant, congelant, glaciant, atque ſic demum *per accidens* ad ſummum frigoris gradum aquam perducunt.

Quod

Quod verò particulæ illæ frigorificæ, particulas minutissimas fluidas, & salia volatilia figentes, coagulantes, sicque summum frigus corporibus inducentes, rebus congelandis saltim *ab extra* adveniant, exinde colligimus, quod res, quæ congelantur, & glaciantur, non in instanti, simul & semel per totam suam compagem in glaciem vertantur, sed *ab extra incipiendo*, ab eô quidem latere, ubi immediatius aquæ se insinuare possunt (unde coagulatio in superficie, seu summitate, non in fundo incipit,) & pedetentim usq; ad medium, seu centrum, aut fundum, nisi quid obstiterit, prodeundo, demum in glaciem convertantur.

Quod porrò *nova*, & *ab extra* veniens aquæ, & humoribus in congelando fiat *particularum accessio*, insinuatio, & intra corpora conglaciata mansio, colligimus ex aquarum conglaciatarum in *molem majorem* factâ dilatatione, elevatione, atque hinc à *glacie* orto, compacti corporis, notabili *incremento*, à quô non solùm vasa fictilia, vitrea, aliaque varii generis disrumpuntur; sed etiam in corpore humano intumescentiæ, tumores & tubercula varia, quale quid etiam in pernionibus videre licet, hinc inde, maximè in partibus illis, quæ frigori nudius expositæ sunt, oriuntur.

Unde dictæ particulæ proveniant, & cui natales suas debeant, scire avemus. Videtur quidem, quod *nitrosæ* particulæ, item *Eurus* & *Boreas*, unde plerumque rigidiores & frigidissimi venti flant, & quorum ope potum arte frigidiorem reddi posse notum est, haut parum conferant, sed nihil certi affirmare ausimus.

Sufficiat nobis nosse (1. has frigorificas particulas obtinere vim *coagulandi*, & *constringendi alterius corporis partes*, unde medici frigidis vim adstringendi, repellendi, fluxum sistendi, & similes effectus attribuunt. (2. quod aqua in suo *naturali* statu, & suæ propriæ, ac nativæ temperiei relicta, non sit summe & absolutè, sed *temperatè frigida*, & plus habeat caloris, quàm terra, saxum, crystallus, marmor & similia dura & solida, in quibus tanta, particularum subtilissimarum liberarum moles præsens, aut permista non est.

Sed cum ea, quæ hactenus de frigiditate dicta sunt, præcipuè *aquam simplicem* & crudam, fundamentum & basin omnis potus respiciant, in ordinario autem potu, sicut superius diximus, hodie non sola aqua, imò hæc rarissimè bibatur, cum, qui *Clitorium* fontem

tem gustârint, aut gustare vellent, nullos, paucos abstemios, & de reliquo, nisi plebejos pauperculos, aut messores, vel aliàs in solis æstu diu commorantes & laborantes, imprimis quorum caput radii solares vehementius feriunt, aut, navigantes interdum, alioque potu destitutos exceperis, neminem invenias, neque nobis sub *potus* vocula aqua tantùm intelligenda veniat, proinde nunc ulterius inquirendum erit, *an cæteri potus*, v. g. cerevisiarum innumeræ species, lora, medo & vinum, quæ in potum frequentissimè cedunt, *frigidi absolutè*, & *in summo gradu* tales sint dicendi? Verùm certum est, nominatos potus *multò* adhuc *minus aquâ frigidiores* dici posse, si scilicet sibi, & suæ naturali temperiei relicti fuerint. *Refrigerant* quidem & frigidi sunt, sed *moderatè* & *temperatè*, non verò sunt frigidissimi, nisi frigus emergens aliunde illis accedat.

Nam particulas volatiles, aëreas, aromaticas, amaras, acres, sulphureas, oleosas, balsamicas in cerevisiis, loris & vinis, ac in his præcipuè multas spiritibus corporis humani valdè analogas abundare, nemo sani sensus, sanæque mentis unquam negare potest. Ast, cum potus, in quô hæ particulæ copiosius insunt, nunquam *à priori* frigidus vocari possit, neque etiam à *posteriori* frigidus excessivè talis dici mereatur, quia calorem homini insitum non extinguit, sed reverà, & ex parte notabiliter satis instaurat & auget, in cujus testimonium *Hippocratem*, *Galenum* & alios sapientissimos viros facillimè vocare possemus, nisi experientia, stultorum magistra quotidiê abundè doceret, ob hordei vel tritici &c. torrefactionem, homines *non minus* largiore *cerevisiæ*, inprimis spirituosioris, quàm *vini* potu incalescere, & inebriari, id quod ob particularum volatilium salino sulphurearum, spirituosarum copiosam effumationem accidere notissimum est. Igitur ulteriori demonstratione non eget, *potum cerevisiæ*, *vini* &c. *sibi relictum*, *non* dici posse *frigidissimum*.

Sed restat nunc, ut etiam in quo *gradu frigiditatis* potulenta, *sanitati optimè* conveniant, aliquid dicamus. Sistimus autem hîc *Galenum*, qui rem videtur optimè declarasse, *lib. 10. meth. med. c. 11.* ubi, *qualis frigiditas aquæ in potu sumendæ conveniat*, docet: Esto, inquit, præparata in labro aqua frigida, *eâ frigiditate*, quæ nullam evidentem qualitatem, nec prorsus frigidarum, nec tepidarum aquarum præ se ferat, sed qualem eam, quæ *fonta-*

na vocatur, quæ & frigoris, quod fert, & teporis, qui resolvit, est in medio. Et in *libro 2. de facult. simpl. medicament.* ulterius dicit: porrò, si nec insigniter calida, nec frigida admoventur, sed veluti quæ *fontana* dicitur. Cum igitur alii quoque auctores Galeno assensum suum præbeant, ille potus, qui *aquæ fontanæ, quoad frigiditatem, æqualis*, nec insigniter frigidus, nec calidus est, ad sitim extinguendam, & sanitatem conservandam optimus erit; habito tamen, ut alibi, ita etiam in potu ordinando perpetuô respectu ad diversitatem *ætatum, temperamentorum, sexus, habitus corporis, idiosyncrasiæ*, & similium.

Pergimus ad sequentia in definitione addita verba, *finem & differentiam* potus frigidi indicantia, quæ sunt: *sitis naturalis in quotidiano victu extinguendæ gratia.* Hic enim est legitimus *scopus & causa*, cur potus in quotidiano victu desideratur, & assumendus est. *Quia sitimus, bibimus.*

Nutritionem, quæ, quamdiu vivimus, necessaria est, alimenta, hoc est, talem materiam exposcere, quæ in ventriculo & visceribus benè digeri, in succum & sanguinem converti, & eò usque mutari possit, ut tandem, quod utile & aptum est, in partium, quæ omni momento à motu perpetuo particularum fluidarum, & inde orto voraci nostro calore dissipatur, & depascitur, substantiam resarciendam impendi, converti & assimilari possit, noto notius est. Cum verò non solùm *humidæ* & fluidæ, sed etiam *solidæ* partes corporis deperditionem & penuriam patiantur; *anima* autem, sanitatis ac vitæ conservatrix, ut morborum curatrix princeps, virium exinde metuendam debilitatem, membrorum exitiosam flaccidiatem, & partium exsiccationem, cujus culpâ omne genitum corpus mortale est, & ad mortem properat, dicente *Galeno l. 6. de tuend. sanit.* non ferre possit, sed hæc omnia providè *præcavere* studeat, ideò, ne penuria quædam contingat, in penu suâ semper ut aliquid habeat, antè sollicita est. Hæc *sollicitudo*, sæpè satis anxia, est ille stimulus, à quo viventia ad quærendum victum, tàm valdè necessarium tàm crebrò impelluntur, quem vulgò *appetitum* vocant, & in *famem & sitim* dividunt, quique, tanquam opera & actio ad creatum conservandum necessaria, naturæ sibi relictæ, ex Summi Creatoris jussu: *Crescite & multiplicamini*, imposita, & concreata, *naturalis* vocari jure meretur.

Quan-

transpirationem &c. necessaria excretio sarta tecta conserventur; *frigidi* autem, ut temperetur *caloris* ignea in corpore voracitas; hinc rectè dicit *Aëtius tetrabib. serm. 5. c. 19.* sitis *duplex est*, altera ob *humiditatis* inopiam, altera ob *caliditatis* redundantiam. Nam ut *Aristoteles* ait: ἡ ὑγεία ἰσότης. Secunda valetudo *mediocritas* quædam est. *Problemat. Sect. 1. p. m 821.*

Oritur autem *calor* iste *potum frigidum efflagitans*, partim (1. *ex motu particularum acrium*, acidarum, amaricantium, salsarum, aliarumque *in assumtis alimentis latitantium*, & in resolutione, seu subtilisatione, vulgari & usitatissimo medicis vocabulo nuncupatâ fermentatione, *in ore*, à saliva, tanquam clave alimentorum compagem reserante, inchoatâ, & *in ventriculo* continuatâ, ex compedibus & latibulis suis emissarum & extricatarum; sed etiam, quia hic calor (2. augeri solet ab assumtione *ciborum activè & effectivè calidorum*, v. g. escarum calidarum, piperatarum, aut aliàs, ceu apud *Germanos* detestandus iste, sanguinem acerem scorbuticum generans, & augens mos obtinet, (unde etiam utplurimum sitibundi sunt,) *largiter aromatisatarum*, à quibus non tantùm statim, *durante adhuc masticatione*, in lingua & faucibus calor mordax & urens, necessariô potu frigido extinguendus, oritur, (testatur hoc der/vulgò dictus, Studenten Marcipan, ex Zingibere & sale in symposiis adpositus.) verùm etiam, dum talia in ventriculo fermentantur & halitus calidissimi per œsophagi arundinem in fauces, versus os adscendentes particulas humidas, dictarum partium secum rapiunt, & dissipant, sicque œsophagum & fauces excalefaciunt, & ardere quasi faciunt, (inde Germani dicunt: Das Gewürtze brennet einen im Halse.) potus frigidus ad extinguendum & moderandum calorem requiritur. Accedit his (3. Calor, qui in ore, linguâ, faucibus & oesophago partim *ob motum linguæ, maxillarum & musculorum* in masticando & deglutiendo operantium, varium, vehementiorem & diu continuatum exoritur, partim & (4. iste calor, qui ex ciborum, præcipuè siccorum & solidorum v. g. panis sicci, crustarum, carnium assatarum, aut elixarum sicciorum, hepatum &c. & in specie non satis masticatorum, horumque arctiori inter deglutiendum perpesso ad latera œsophagi *attritu*, undè aliàs ordinariè calor excitatur, oritur. (5. Calor omnibus partibus *naturâ adsitus*, igneus, & ob rapidum con-

continuumque ſanguinis motum *localem* & *inteſtinum* fotus, & auctus, qui, ne excreſcat nimiùm, & partes fluidas disſipet, pingues colliquefaciat, & ſolidiores arefaciat, neceſſarium refrigerans expoſcit.

Poſſemus his adjungere alias plures caloris & ſitis cauſas, cum v. g. videamus etiam ob ordinario crebriorem, in *reſpirando*, aëris valdè elaſtici per nares & os illapſum, & expulſionem, inprimis inter perorandum, cantum, clamorem &c. os, linguam, fauces, uvulam & aſperam arteriam roſcidâ ſuâ humiditate privatas excalefieri, areſcere, & frigidum potum expoſcere, unde non ex voluptate ſemper, ſed etiam ex neceſsitate *cantores amant humores*; item, quod *bilem* habentes *acriorem*, ſalſis abundantes humoribus &c. ob inde ortum & excitatum maximum calorem, ſiccitatem & ariditatem, ſitim plerumq; auctam ſentiant; ſed his, pluribusque aliis, brevitatis ſaltim ſtudio, omiſſis, confidimus quemlibet ſatis videre potum non tantùm ob humiditatem, ſed etiam, & vel maximè *ob frigiditatem* tàm avidè appeti.

Adſentientem habemus Philoſophorum principem, *Ariſtotelem*, qui *lib. 2. de anima. c. 3. pag. m. 1391. t. 28.* ſitim definit ἐπιθυμίαν ψυχροῦ καὶ ὑγροῦ, *appetitum frigidi & humidi.* *Hippocrates* idem innuit *6. Epid. ſect. 3. text. 24.* ubi victus regimen ſitientium proponens, dicit: ἀδίψων συνέχειν στόμα, σιγᾶν, ἄνεμον σὺν τῷ πότῳ ψυχρὸν εἰσάγειν, *Non ſitire faciunt os claudere, tacere, ventum, ſeu auram cum potu frigidam introducere.* Quibus adcedit *Galenus*, qui *l. 1. de ſimpl. medicament. facult. c. 3.* ſitim *duplici* ratione provenire dicit: partim ob *humoris inopiam*, partim *caloris copiam*, & *ibid. c. 29.* magis ad ſcopum noſtrum ait: ſi cum vino bibatur *aqua*, ſitim efficatius extingvi, quàm ſi ſola, vino ſcilicet ipſam ad diſtributionem promovente: itaque refrigerationem, ſitisque ſedationem *ab aqua* provenire, ut quæ *frigidæ naturæ* ſit, & *humidæ*. Sed pergimus.

Addimus porrò in ſupra datâ definitione potus frigidi verba: *Sanitatis conſervandæ gratia.* Quô ipſo indicare volumus, nos hîc non agere de potu in *ægrotorum, valetudinariorum*, & qui his aliàs annumerari ſolent, diætâ ordinari ſolitâ; ſiqvidem tunc ad morbi cauſas, morbum ipſum, hujusque ſymptomata, & patientis ſtatum

reflectendum est, cum neq; frigida, neque calida indistinctè semper prosint; Nec de illo, qui initiò consortii, *voluptatis*, aut *luxus* gratia, inceptus, hinc in *adsuefactionem* abiit, & sæpè plus in detrimentum, quàm commodum sanitatis, magisque ad abbreviandam, quàm prorogandam vitam, plerumque tamen extra prandium & cœnam sumitur; sed de illo potu, qui *in quotidiano victu*, maximè inter *prandendum* & *cœnandum* sanitatis causâ communiter assumi solet, qualis potus sunt aqua, cerevisia, vinum, &c.

An verò *sanitatis conservandæ gratiâ potus frigidus ad sitim sedandam præstet calido?* in maxima est controversia. Videmus enim, & sæpe audimus contradicentes multos, qui calidum potum commendando calidissimè fovent, de potu autem frigido satis frigidè sentiunt.

Nolumus nos rationes eorum, qui calidum potum frigido præferunt, imò frigidum plane rejiciunt, omnes ac singulas adponere, sed potiores saltim convasabimus, namque hîc breves esse laboramus.

Primò petunt argumenta sua ab *antiquitate*; testimoniisq; & exemplis *veterum*, *Græcorum*, & imprimis *Romanorum*, calidum potum antiquis in frequentissimo usu fuisse, ideoque eos imitandos esse, adstruunt.

(II do. Desumunt argumenta ab *utili* & *necessario*; quod scilicet vita nostra consistat *in calido* & *humido*, quia verò ex *Aristotelis* sententia τὸ θερμὸν καὶ ὑγρὸν σώζουσιν, *calida* & *humida* illud conservant, proinde secundum *Hippocrat. s. 5. aph. 18.* τὸ θερμὸν ὀφέλιμον, calidum, & calidus potus, ut naturæ amicus, erit bibendus; inimica verò & noxia cum naturæ sint frigida, hinc potus frigidus, utpote calido nostro contrarius & destructivus erit fugiendus.

(III. *Noxarum* & *morborum* à frigido potu ortarum plaustra advehunt, & in enarrandis v.g. astmate, suffocatione, colica, febribus, apoplexiâ, tetano, aliisque sexcentis morbis gravissimis, à potu frigido causatis prolixissimi sunt.

Verùm hæc talia nos non feriunt: Antequam verò nostras, pro *potu frigido* militantes adducamus rationes, monendum iterum putamus, quod, ut ubique, ita etiam *in potu* assumendo, juxta

nun-

nunquam satis laudati *Hippocratis s. 1. aph. 17.* effatum, *tempori, regioni, ætati, & consuetudini aliquid sit condonandum.* Hinc potus frigidi contemtoribus respondemus.

(Imo. Quod ipsorum allata *antiquitas*, à *Græcis* & *Romanis* petita, nobis *non* videatur *satis incanuisse.* Habemus enim in potusfrigidi laudem ætatem maximè decrepitam. *Adamum* & *Evam*, primos nostros parentes, non lactatos, sed *aquâ simplici*, à Creatore suo ipsis propinatâ contentos fuisse, ipsorumque posteros, per multas seculorum ætates, *solam aquam* bibisse, & nihilominus longæviorem, saniorem & validiorem nostrâ vitam duxisse, prout suprà monuimus, ex sacris & profanis scriptoribus clarissima habemus testimonia; οἶνος γὰρ ἐκ τῶν κριθῶν, καὶ οἶνος ἐκ τῶν σταφυλῶν, *vinum ex hordeo*, & *vinum ex uvis*, illa gulæ irritamenta maxima tunc nondum erant inventa. Bibebant autem *aquam simplicem crudam*, prout natura eam ex rivis, fluviis, imprimis verò fontibus & puteis, in quibus adquirendis & effodiendis veteres industrii erant, suggerebat. *Excaldatam* verò, seu *excalefactam* aquam illos tunc temporis bibisse, nullum capimus ex sacris aut profanis scriptoribus documentum. *Post diluvium* quoque, licet vinum esset inventum, nihilominus in communi victu & vita aqua loco potus in usu quotidiano erat. *Israelitas* in Ægypto, & *Ægyptos* aqua in potu suo ordinario usos esse, clarissima testimonia suggerit *Exodus c.7. v. 21. & 24.* Illos quoque in peregrinatione ex Ægypto satis diuturnâ, potum suum, hoc est, aquam, excalefecisse, unde quæso probari poterit? Ex *petra*, quam Moses in deserto, jussu DEI, verberabat, aquam excalefactam profluxisse, aut sitibundos Israëlitas eam profluentem prius excaldasse, quis credat? Quin potius *frigidum* potum apud *Hebræos*, *Salomonis* tempore in delitiis, & ad recreandas vires adsumtum fuisse, colligi potest ex *proverbiis* ipsius *c. 25. v. 13.* ubi dicit: Sicut *frigus nivis in diebus messis*, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. Cum enim *tempore æstivo nix* non soleat cadere, sine dubio Salomon *nivem*, seu *glaciem ex hyeme in æstatem reservatam*, quâ potus in solatium æstus æstivi à messoribus refrigerabatur, intelligit, quem morem etiam nostro tempore adhuc *in Hungaria* obtinere, refert *Johann Loselius de podagr. s. 2. memb. 2. art. 1.* dicit enim Rusticos *Hungaros messis tempore* vinum *glacie*

fri-

frigorificâ temperare, vel, ſolis æſtu urgente, glaciem ipſam in locis ſubterraneis copiosè aſſervatam, & regelatam ſitibundos ingurgitare. *Salvatorem* noſtrum à Samaritana muliere ex *puteo* hauſtam aquam, non prius excalefactam, ſed prout exhauriebatur, frigidam bibiſſe legimus. Sed ne ſoli lucem adponere velle videamur, plura, quæ proferri poſſent, omittimus.

Quanquam verò ambabus largiamur, poſtquam vinum inventum fuerat; illud quoque *initiò*, prout *nativè frigidum* erat, potatum fuiſſe, inprimis *recreationis* & *hilaritatis*, deinde etiam voluptatis, ac *inebriandi* causâ, nam *Salomon* jam ſuo tempore, *plures crapulâ*, *quàm gladio perire*, conqueſtus eſt, ſæpius quoque ad *ſanitatem conſervandam* in uſum adhibitum fuiſſe, ſicut *Paulus* charo ſuo *Timotheo* ad *confortandum ventriculum*, vinum tanquam εὐπόρισον, & notum remedium ſuadet: Imò veroſimile ſit, in *ſanitatis & virium roborationem*, ac conſervationem DEVM *Nohæ*, jam *ſeni*, *annis*, ut & *curis*, ob devaſtatum per diluvium mundum gravato, & ob commorationem diuturnam in humida, ſuper aquas arcâ, valdè debilitato, hoc novum genus potus, & inuſitatum oſtendiſſe; *Tractu* tamen *temporis demum*, cum in *luxum* ceſſiſſet vini potus, vinaque non nova, ſed *vetuſtiſſima* in luxuriem conſervata, & ob inveterationem *craſſiſſima* facta, quæ manducari potius, quam bibi apta erant, in conviviis, & apud luxurioſos adponerentur, *excaldatum* potum in conſuetudinem veniſſe, & *Græcos* ac *Romanos*, utpote luxuriei, voluptati & delitiis præ aliis immerſos, *excaldato potui* valdè operam dediſſe certum eſt; ita enim *Roſinus antiquit. Roman. p. m. 538.* Veteres, ait, durioris vitæ homines, quique *à luxu remotiores* erant, *frigidum* bibebant, *delicatiores* verò, & qui *luxuriei* erant *dediti*, *calidam* ſolebant bibere; Poſſentque ex *Plinio* multa hujus teſtimonia in medium produci, ſi locus & tempus permitterent.

Confirmare etiam hoc poſſet *ſcomma* illud in Cæſarem, *Tiberium Claudium Neronem*, qui, quia *luxuriei* planè immerſus, vina ex libidine, & maximê inveterata, ideoque *excaldata* in potu ingurgitaſſe fertur, ob nimiam hanc vini aviditatem *Biberius*, ob luxurioſum *excaldatum* potum *Caldus*, & ob merum, ſeu vinum generoſius, quod abliguriebat, *Mero* appellatus dicitur. Vix enim ipſum *Caldum* vocatum fuiſſe remur, ſi in quotidiano victu omnes,

& non

& non potius *luxuriosi* saltim, & inter hos præcipuè Nero *excaldatum* potum bibere, consuevisset. Quanquam in eam opinionem ducamur, Neronem *Caldum* vocatum fuisse, non tàm, quod calido potu, quàm quod ad gulam ingeniosus, *magis frigido* delectaretur; ut enim aqua citius & potentius externæ nivis frigus experiretur *decoquere prius* aquam seu *excaldare primus* jusserat. Ita enim *Plinius* de hôc invento *lib. 31. c. 3. p 555.* ait. *Neronis* principis *inventum* est, *decoquere aquam*, vitroque *dimissam in nives refrigerare*, quia *calefacta magis refrigeratur*, subtilissimo invento. Cum igitur *Nero* luxus hujus in *calefaciendâ aquâ, ut magis refrigeraretur primus inventor* fuerit, forsan *ab invento* hôc *Caldus* dictus fuit.

Sed quidquid sit, certum est, & ex veterum Scriptorum monumentis satis constat, *excaldatum potum* fuisse *ab initio speciem potus magnatibus, delitiosis, luxuriâ & divitiis diffluentibus*, & symposia amantibus *tantùm* in usu; quia autem, ut verè *Seneca in epist. ait:* inter causas malorum nostrorum est, quod *vivimus ad exempla*, nec ratione componimur, sed *consuetudine* abducimur, & recti apud nos locum tenet *error, ubi publicus* factus est; inprimis autem quocunque Rex gaudet, hoc subinde invalescere, studiosèque à plerisque affectari solet; hinc factum fuisse verosimile est, ut *excaldatus potus* etiam in vilioris conditionis hominum consuetudinem veniret. Cujus haud invalidum argumentum nobis suggerit *Cassius*, qui, cum reperisset *Syriacas legiones diffluentes luxuriâ*, etiam se excaldantes, hoc est, ad ignem, vel potius in apoxariis & hypocaustis se calefacientes frigoris tempore, id illis interdixit, ut ad pristinam militum disciplinam revocaret, & *calidum potum interdixit*. Nam multò *severior* erat *antiquorum disciplina militaris*, hodiernâ. *Potus militis aqua erat, aut mera*, aut mista aceto, *posca* dicta; de quo vide *Josephi Laurentii Polymathiam lib. 1. dissert. 40. p. 78. & lib. 4. de disciplina militari Synops. 3. p. 310.*

IIdo. Si autem exinde, quod excaldatus potus quibusdam *luxuriâ diffluentibus*, & magnatibus *in consuetudine* fuit, calido potui aliquid laudis accedit, *frigidissimo potui*, nive & glacie frigefacto, non solùm *tantundem*, sed etiam *multo plus*, præ calido, laudis concedendum erit. Testantur enim scripta *historicorum*, & *poëtarum* veterum, quosdam ex priscis frigidum, aliquos calidum, aliquos temperatum, aliquos calidum quandoque, quandoque fri-

gidum potum eadem ætate bibisse, unde *Martialis* in *apophoreta* canit: *Frigida non desit, non deerit calda petenti:* Præcipuè verò apud nobiles in sumtuosis illis cænis, in natalium celebratione, in festivitatibus, in nuptiis, ac in procerum convictu, ob aliquam victoriam, *frigidum* ac *calidum potum* in usu magnoperè fuisse, & per *frigidum* potum *summè frigidum*, sive *gelidum* intelligendum esse, complurium tùm *Græcorum*, tùm *Latinorum* testimoniis confirmat *Franciscus Scacchus dissert. de salubri potu. c. 2. p. m. 8.* Imò laudatus auctor, postquam *loc. cit. p. 18. 19. & seqq. gelidum* potum priscis in usu fuisse plurimis documentis probavit, tandem *p. 22.* ita concludit: Constat itaque ex dictis, priscos *valde frigido, seu gelido potu*, calido ac temperato usos esse, & *gelido quidem & calido ad luxum & delicias.* Quia verò teste eôdem auctore, in toto terrarum orbe valdè pauci, & utplurimùm *hyeme ad delicias calidum biberunt*; plurimi autem, & præcipuè nobiles, ac principes *gelidum* potum *quolibet anni tempore*, præsertim in summo æstu, *ob luxum* secuti fuerunt; insuper nemo ignorat, his nostris temporibus admodum paucos calidum bibere, plurimos autem, & ex vulgo omnes *frigido delectari*; præterea causa, cur prisci potum excaldarunt, in terris nostris cessat, nec vina apud nos ita inveterascunt, ut ob vetustatem *instar mellis crassioris* inspissentur, & quasi solida fiant, ideoque antequam bibantur *attenuanda*, & liquefacienda sint, hinc videmus *potum frigidum* palmam & laudes calido præripere.

III. Videntur nobis contradicentes *ludere in terminis calidi & frigidi.* (1. quod *calidum* concernit, *modò* vocant illum potum *calidum*, qui *igne* est *excalefactus*; *modò* illum hoc titulo insigniunt, qui, *prout à provida natura humanæ indigentiæ subinde, & hinc inde* per pluvias, fontes, puteos, flumina &c. sine ad ignem excalefactione præcedente, subpeditatur, bibitur. Quia autem *utroque modô* calidum ipsis dictum, homini *in quotidiano victu ad vitam & sanitatem conservandam* prodesse, nec obesse ambabus concedunt, non videmus, quomodo nobis contrarientur; quin potius nobis gratulamur, quod *potum frigidum* in *eodem* significatu *frigidi*, in quo nos ipsum commendamus, spontè commendent. Neutiquam tamen videmus, quô jure talem potum frigidum, prout eum natura ex fontibus, puteis, fluminibus &c. subpeditat, *excale-*

calefactum, aut *excaldatum* vocare possint. (2. *Frigidum* porrò sumunt, *modò* prout excalefacto contradistinguitur, & notat calidum ipsis dictum potum, sed in ea temperie, in qua *natura eum suggerit* per fluvios &c. *modò* sumunt pro extremè & summè frigido, seu gelido. In *prima* vocis acceptione se nobis ὁμοψύφος præstant; in *altera* verò distinguimus (1) inter *tempora*, *regiones*, *ætates*, *temperamenta*, *consuetudinem* &c. quibus, secundum monitum *Hippocratis* supra laudatum, semper aliquid est condonandum, & inter *modos* (2) potum *infrigidandi* varios, & (3) frigidum assumendi.

Primum quod spectat, potus secundum *Baltharis Pisanelli*, medici Bononiensis sapientissimum consilium, in *lib. de esculent. & potulent. facult. p. m. 162.* ita *contemperandus* est *aëris*, *anni temporis*, *regionis* calori, ut, *quantò* ille *debilior* est, tantò *frigidi potus gradus remissiores* sint, si hic *intensior*, eadem in *egelidæ* usu servetur *temperies*; *refrigeratio* ista *haut aliud sit*, quàm *temperamentum calidi*. Verbò, frigiditas potus semper mensuretur ad *modum caloris nostri*, ne scilicet hic suffocetur, sed ut in suâ *æqualitate & temperie*, constitutioni *hujus* vel *illius individui* necessaria & conveniente servetur.

Quod *secundum* concernit, *diversos* invenimus apud auctores potum *infrigidandi modos*, quorum *usitatiores*, eosque in *Europa* plerumque solitos, huc apponere lubet.

Sunt nempe eorum, quantum nobis innotuit, *quinque* (1.) infrigidatio *nive* & *glacie* (2.) immissione vasorum potum continentium in *puteos*, *fontes*, *cellas*, aut in horum defectu, in *specus* & *cavernas umbrosas*, versus septentrionem spectantes, in quas aër, ob solis radios æstuans, aut aliàs calidus penetrare non potest. (3.) *Nitro*. (4.) *Lapidibus*. v. g. silicibus frigidis, & in aqua frigida infrigidatis, potui injectis. (5.) aëre *frigido*.

Invenimus quidem apud *Scipionem Mercurii lib. 2. degli errori popolari d' Italia p. m. 538.* alium potum infrigidandi modum, *con l'herba rugiadosa*, qvem auctor à rustico qvodam Pædemontano didicit, valdè laudat, & *loco cit. pag. 540.* ita describit: Ultimo modo di rifrescar il vino, si fà con l' herba *rugiadosa*, *tagliata avanti il levar il sole*, delle quale se ne taglie tanto, che basti à coprir il va-

so pie-

so pieno di vino, & copertolo vi si sopraggiunge adosso de panni grossi, perche diffendino dell ambiente. Questo modo è così eccellente, che quantunque detto vaso così coperto stia *tutto il giorno à raggi del sole*, non perde però *mai* la sua freschezza, poiche il caldo ambiente tien' unita la *fredezza della rugiada* in torno al vaso. Sed, quamvis ex circumstantiis colligamus, auctorem intelligere *Rorellam*, quæ alias *Ros solis*, Germanis Sonnenthau/ vulgò Sonnethau dicitur, quia hæc in superficie sua humiditatem roridam, in diebus etiam à calore valdè æstuantibus, potissimùm verò manè, in majori copiâ, quàm aliàs herbis adhærere solet, præ se fert, & laudatus auctor hanc herbam *manè*, ante solis ortum abscindendam, & panno crassiori obtegandam præcipit, quò frigiditas *della rugiada*, id est *roris* magis unita circum vas conservetur; *quia* tamen nec ex propria, nec ex aliorum experientia quid hæc auctoris observatio veri, & eximii in infrigidando potu habeat, statuere possumus, fides penes auctorem sito; nolumus tamen illi eandem prorsus denegare, quia res non uidetur impossibilis esse; Novimus namque *Galenum* etiam *6. in Epidem. Hippocrat. Comment.* referre, *Ægyptios folia* vasi circumdedisse, nonnunquam *vitium*, aut *lactucæ*, nonnunquam & aliarum id genus herbarum, *ut diutius frigus permaneret*. Sed cum aliis, quàm messoribus, iis, qui ruri degunt, & operariis, hunc infrigidandi modum, in defectu aliorum, in usu esse dubitemus, parumque solatii frigidum sitibundo præbeat, eumque nominasse sat erit: Legi de his, & pluribus potum infrigidandi modis poterit *Thomas Bartholinus* de *nivis usu c. 15. p. 100. & seqq.*

Primus potum infrigidandi modus, *nive* scilicet & *glacie*, antiquissimus est, & jam *Salomonis* tempore in deliciis habitus, sicut ex superius dictis constat. *Romanis* quod fuerit in usu, & propè quotidiano, exinde colligi potest, quod inter *cœnæ ordinariæ apparatus nix* censebatur, teste *Plinio*, qui *lib. 1. epist. 15.* In cœna parata, inquit, erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso & *nive*. Propter æstum vehementiorem *Indis*, *Turcis*, *Italis*, *Hispanis*, imò etiam *Germanis* potum *glacie* vel *nive* refrigeratum adhuc in usu esse, experientiâ tùm propriâ, tùm alienâ, multisque testimoniis probatissiorum auctorum confirmare possemus, nisi farraginem eorum congestam videremus apud laudatum *Thom.*

Bar-

Bartholinum loc. cit. c. 14. p. 88. & seqq. ad quem benevolum lectorem amicè remittimus.

Infrigidatio verò ipsa fit iterum *diverso* modo, aut (1.) *adponendo* lagenis, potu, imprimis vino, plenis, *externè* ipsam *nivem & glaciem*, (2.) *ponendo lagenas*, vel quod commodius est, *vitra* ita adaptata, ut in *Italia* moris est, quò semper natent, & collum supernatet, nec vino repleta submergantur, in vasculum ligneum, v. g. *capedinem*, nostris eine Gelte/ Stunze/ *aqua frigida* plenam, cui aquæ *frusta glaciei* pro lubitu imponuntur. (3.) *Injiciendo nivem* vel *glaciem in vitrum* ipsum, vel vas bibitorium potum continens, ori admovendum.

Secundus infrigidandi modus, *immissio* nempe *vasorum* potu repletorum in *fontes*, *puteos* profundiores, vel etiam *cellas*, iterum deprehenditur *varius*. Aut enim ipsa *dolia* satis *capacia*, & aliquot amphoris potus impleta, in *cellis ordinariis* subterraneis per æstatem detinentur, & studiosissimè prætavetur, ne ob diutiorem valvarum, aut spiraculorum cellæ apertionem aër calidior in eas penetret. Unde *Numburgenses*, in conservanda cerevisia bona curiosissimi, cellas, in quibus cerevisia per æstatem conservatur, rarissimè aperiunt, eas nunquam temerè intrant, & post ingressum valvas post se desubitó claudunt, quâ ratione etiam *nectar* illud *hypochondriacorum* Numburgense celeberrimum plerumque non acescens, & frigidissimum conservare solent. Aut dicta vasa grandiora potu repleta in *profundissimas & frigidissimas cellas*, quarum in aliquibus Europæ locis, inprimis vero *Geræ*, oppido, ob manufacturas varias, mercaturam, ac hortorum culturam splendidam, ut & propropter potum æstate valde frigidum, hinc inde celeberrimo, plures, ob profunditatem, in terra quasi viscera definentem, visu dignissimas reperire licet, & ab incolis Höhler vocari solent, reponuntur, ibique per æstatem reliquuntur, ex quibus potus per integram æstatem, licet etiam maximè ferventem, valdè frigidus, ac optimi, incorruptique saporis haberi potest.

Immissio *in puteos* etiam diversimodè fit; aut enim vasa terrea v.g. lagenæ benè obturamentis munitæ & deligatæ, postquam laqueis firmiter alligatæ sunt, *planè in aquam* immerguntur, ibique per aliquot horas immersæ reliquuntur; aut dicta vasa *duabus extra aquam palmis*, & sic super eam suspenduntur, suspensaque per aliquot ho-

ras relinquuntur, ut ab aëre potius, per aquam quasi algente, quàm per ipsam aquam refrigerentur.

Alii in defectu puteorum in *ripis, fluviis, alveos* &c. lagenas ponunt, firmantque, ne potus profundatur; vel jam pransuri, aut cænaturi paulò antè, quàm mensæ accubituri sunt, ex puteis frigidioribus aquam extrahi curant, in quam, effusam in capedinem, vel aliud idoneum vas propè mensam positum, lagenas, vel urceos potu plenos ponunt, atque hôc modô potum suum per æstatem infrigidant. Commodissimus hic est modus, & cæteris paribus aliis præstantior ac salubrior, modò caveatur, ne in puteos, aquam fœtidam continentes, aut in aquas fœtidas lagenæ & vasa imponantur, quia potus tetrum odorem & saporem, appetitui & sanitati ingratum & noxium sibi adsciscere possunt.

Tertius, potum, nempe *Nitro* infrigidandi, modus, an priscis in usu fuerit? nobis non constat, navigantibus in usu esse dicitur, utpote, qui, cum nec nivem, nec glaciem in nave habeant, potulenta infrigidaturi, dissolvunt aliquam quantitatem *Salis nitri* insufficientibus aquæ mensuris, cui deinde vasa, potulentum continentia immittunt. Sed quia *modus* pluribus ignotus est, apud alios quoque non ita cum omnibus adjunctis descriptus reperitur, eum ex supra laudato Italo, *Scaccho*, prout *loc. cit. cap. 5. p. 78.* traditur, huc transscribemus. In *centum*, ait, *aquæ* libras, puri *hali nitri libras XXIV.* infundere solent, hunc ordinem *ad amussim* servando, *primò* scilicet ex tribus hali nitri partibus, duas partes in dictam aquæ quantitatem infundunt, deinceps immissum in aquam ligneum pistillum sensim in gyrum vertunt, tardè primùm, deinde paulò concitatius, ac tandem frigore augescente celerrimè circum agunt, semperque in eandem partem, *mox*que frigiditate insigniter auctâ, quod tactu percipitur, ex reliqua hali nitri parte, dimidiam partem addunt, nempe libras quatuor, ac denuò pistillo circumaguntur; *ultimò* alias quatuor libras super addunt, ac tamdiu circumagendo durant, donec ad summum frigiditatis gradum pervenerit, quô tempore *phialas* vino, vel aqua plenas, sive cænophora in ipsam sic refrigeratam aquam immergunt, sive circumducunt, & utroque modo potulentam materiam inter se admodum refrigerant.

Quartus infrigidandi potum modus consistit *in lapidum*, v. g.

sili-

silicum puriorum ex aqua frigida desumtorum, & in aqua frigida usque ad usum relictorum, in vasa bibitoria injectione.

Quinto modo refrigeratur potus *aëri nocturno, & versus septentrionem, ventosque frigidos* vasa potu plena suspendendo, & exponendo. *Galeni* etiam tempore, ceu patet ex *l. 6. in Epid. Hipp. comment. 4. & lib. 2. de compos. medicament.* hic modus in usu, &, sicut ex laudato *Pisanelli loc. cit. p. 163.* apparet, *Ægyptiis* usitatissimus fuit. Sed quamvis hic modus sit facillimus, non sufficiens tamen esse, & parum in infrigidando efficaciæ habere videtur, sicuti laudati ambo Itali, *Scipio Mercurii, & Balthas. Pisanelli* verè sentiunt; ille enim *loc. cit.* hanc rationem addit: perche *non sempre l'aër nocturno è fresco*, & quando ben' anco è fresco, pocchissimo però ne *communica al vino*, & se pur gli ne communica, non può servir, se non *per la mattina à disnare*, non possendo per la sua debolezza aggjunger sino alla sera. *Hic* verò, *loc. cit.* ait: quod, licet hic modus potum refrigerandi optimus sit, & saluberrimus, at eô beneficio *tùm destituamur, cum usus maximè postulare* videbatur, cum in Etesiis ventus frigidus non spiret.

Potum hactenus *frigori* exposuimus, nunc quomodo propinandus, seu assumendus, sive quinam ex recensitis quinque modis *tutior, salubriorque* sit? inquirendum esset. Verùm enim verò rem valdè *difficilem* deprehendimus, cum ex recensitis pateat, in potu, *frigidi gradus*, vel *temperamento aquæ naturali*, quale *fontanæ* ex *Galeni*, aliorumque sententia attribuitur, *æquales* reddi, vel etiam *exaltari*, & ad *frigidissimum* deduci posse; notum verò sit constitutiones individuorum humanorum adeò variare, ut, nullum corpus alteri per omnia simile sit.

Norunt enim Medici, quod, licet *sanitas* hominum *in genere* conservetut per *ea*, quæ sunt *ejusdem temperaturæ cum homine sano*, & ex adverso lædatur, per ea, quæ *notabiliter calidiora* sunt, & *frigidiora*; ideoque intemperies, sanitate magis, quàm par est calidior, frigidioribus ad justum & convenientem gradum reduci, frigidior verò calidioribus, in sanitatis decentem statum restitui debeat, idque bona *victus ratione* optime effectui detur; attamen in hâc, *propter* hominum *constitutiones diversissimas universales sanitatis regulæ* præscribi nequeant. Consultissimum ergò erit, ut quilibet *in victus ratione sui ipsius medicus* sit, hoc est, sanitatem suam integram conservaturus ipse probè observet, quæ *in diæta juvare*, aut

noce-

nocere soleant, *illa*, ut *retineat*, *hæc* verò ut *fugiat*. Hæc enim sunt vera *stratagemata*, quibus pharmacopœis lucrum præscinditur.

Præcipuè autem ut ubiq;, ita quoq; *in potu frigido* assumendo

(1.) observandum est, ut cujuslibet *individui temperies sanguinis & seri naturalis* conservetur, & omnia *excessivè* calida & frigida potulenta *vitentur*; temperata verò & temperantia eligantur.

(2.) Habeatur ratio *temporis*, quemadmodum nempe *excellens frigus* adventitium spirituum & humorum motum inhibendi, *nimium* eum planè tollendi, & hinc calorem nostrum suffocandi & extinguendi vim habet maximam. *Calor* verò externus *nimius*, sive is æstatis, caloris excessu sævientis, sive regionis æstuantis natura, aut aliunde contingat, aut corporum violentiori motu, ac exercitio auctior & vehementior factus fuerit, motum spirituum & humorum augendi, calorem quasi in flammam concitandi, & spiritus ac humores dissipandi, corpus consumendi, & oleum lampadi vitæ subtrahendo, mortem inducendi vim obtinet: ita unicuique in victus ratione probè vigilandum est, ut his sanitatis hostibus infensissimis obviam eatur, iique in tempore expugnentur. Cumque *frigus* ordinariè excellere soleat in *hyeme*, ideò, quoad *alimenta*, cibis quidem calidis idoneis, calorem nostrum intra corpus fovere, sed potu *temperatè frigido* in *æquilibrio* conservare admodum conveniet, ac necessarium erit. Poterunt ergò tunc potulenta, *si appetantur*, vel, ut ex cellis non admodum profundis adportantur, temperatè frigida, vel si adportata ob aërem gelidum, aut quod ex profundioribus cellis frigidiora sumta fuerint, in hypocausto temperatè calido paululum relinqui, vel ad fornacem per breve tempus poni, & postquam de sua frigiditate aliquid remiserunt, deinde in usum trahi, idque sine ullo sanitatis præsentis dispendio. *Æstate* verò, qvando *calor corporis* ab ambiente, & ad pulmones irruente, præcipuè magis fervido aëre, motuque spirituum & humorum inde, aut etiam aliunde rapidiori reddito, auctus fuerit nimium, cavendum quidem, *ne unquam ante* assumtionem potus frigidi, cibi calidi assumtio omittatur; sed potus tunc, ut sanitas integra conservetur, frigidus, minimè autem, nisi in adsuetis calidus convenit; sicuti enim ignis igni additus flammam auget; ita calidus potus calori in corpore nostro aucto additus, ipsi calcar addit, & humorum ac spirituum motum augendi, humidum per sudores, urinam & insensibilem

lem transpirationem eliminandi & dissipandi, ventriculum & digestionem debilitandi, totumque corpus flaccidum, lassum & debile reddendi vim habet efficacissimam; imò cum excalefactus potus ad frequentiùs & largiùs bibendum appetitum incitet, humiditas autem superflua ventriculi fermentum pessundet & eluat, salia in massa sanguinea nimium diluat, & ab his inertibus redditis sulphur non debitè expandatur, facilè, & intra breve tempus, qui anteà optimè sani erant, pallidi, pituitosi, cachectici & hydropici reddi possunt. E contra, ubi, habitâ tamen ratione validioris, & debilioris corporis constitutionis, calor tùm externus, tùm internus auctior fuerit, frigidior potus omne expediet negotium, & proderit tunc aut potus ex *cellis profundioribus* apportatus, aut poterit *nivem & glaciem ab extra* vasibus, potu repletis, immediatè circumponendo, aut aquæ in capedine eas addendo, vel etiam vasa in *puteos*, frigidiores *fontes*, *flumina*, aut in aquam frigidam immittendo, potus frigefieri, ac in usum impendi, sine sanitatis præsentis metuendâ noxâ, modò semper observentur sequentia:

(1.) *Adprimè*, ut *Comicus* ait, *in vita utile* esse, VT NEQVID NIMIS! hôc præsuppositô, cavendum est,

(2.) Ne *jejuno stomacho* potus, quocunque modo frigidus sumatur.

(3.) Ut *parum bibatur singulis vicibus*, præcipuè verò *ne primus* avidè sumtus *haustus nimis largus* sit, quia subitanea alteratio periculum sæpè in momento adportat, & gravissimas inde in corpore mutationes ortas fuisse, ipsam quoque præsentaneam mortem insecutam, experientiâ propriâ, & alienâ facilè probari posset.

(4. *Juvenibus* magis, quàm *senibus* potus frigidus convenit. Et cum *senibus*, quibus utplurimùm parum calidi adhuc restat, *temperatè frigidus* potus eligendus sit, sufficiet illis frigefactio potus per immissionem vasorum in aquam frigidam, aut silicibus frigidis in potum positis conciliata; aut si frigidior paulò potus cerevisiæ, forsan ex adsuetudine, eos delectet, sicut *Galenus 3. de ratione vict. acut. l. 40.* aquæ frigidæ noxas subnasci ait διὰ τὴν μίξιν ἄκρατον, *ob impermistionem* cum vino, ita, si solvendo sunt, & in sanitatis commodum aliquid de eo, quod aliis relinquendum est, impendere volunt, vitrum unum vel alterum *vini boni* potui cerevisiæ interponere consultum erit.

(5. Qui *otiosam vitam* degunt, item qui *pituitosi*, delicatioris texturæ, ac imprimis quoad genus nervosum sunt, sibi à potu frigidiori temperare debent; Sufficit his temperatissima frigefactio; nam à vehementius infrigidantibus tùm externis, tùm internis, periculum sanitatis & vitæ facillimè incurrere possunt. Cum contra *biliosi*, item *robustiores*, laboribus corporis negotii plenis dediti, frigidiorem facilius ferant, modò *non* statim *immediatè* post nimium motum corporis, & animi, nec, ut præcipuè operarii solent, puteos bibitorios, & quæ etiam ultra mensuram capiunt vasa haustikῶς & ἀπνόϛὶ exhauriant.

(6. *Gravidæ*, nisi forsan ipsarum idiosyncrasia aliud efflagitet, præcipuè verò *puerperæ* à frigido potu abstineant, nisi vel mortem, vel atrocia mala, vel ad minimùm intumescentiam ventris sibi adsciscere velint.

Cumq; (7. *Consuetudo* sit quasi altera natura, & multi, imprimis ubi profundiores cellæ, die Höhler inveniuntur, à teneris potui frigido adsuescant, iis, ut adsuetis, ad sanitatem suam integram conservandam potus frigidior ex istis cellis, non equidem planè denegandus, sed ne, quando consenescunt, cachexiam & hydropem incurrant, κα]ὰ βραχὺ *paulatim* bibant, nec ἀθρόως, *confertim* & *impetuosè* largiorem potum in fauces & ventriculum infundant. Conduceret hisce potius, si sitis nimium urgeat, & cerevisia, vel alius frigidior, quàm sanitati conducibilis, potus adportetur, primò saltim *aliquoties pitissando*, seu sorbendo *potum frigidum* sumere, eumque paululum, ante deglutitionem, *in ore continere*, & posteà haustibus parcioribus sitis extinctionem continuare, quàm unâ vice, appetitui velificando, sanitati imprudentius nocere. Nam, sicuti omne nimium, tàm in quantitate, quàm in qualitate naturæ inimicum est; ita à pauco incipiendo, & *paulatim* pergendo, ad sitim extinguendam talis potus frigidus non nocet. Hunc modum sitim extinguendi ideò *frigidum bibituris* commendamus, quia sitis hôc modo plerumq; quasi in prima herba suffocari potest; rationem verò hanc addimus, quod, quando potus frigidior, saltim pitissando, vel potiùs sorbendo prius super linguam funditur, ibique paululum tenetur, non tantùm lingua & fauces, quæ in siti interdum πρῶτον δεκ]ικὸν, *subjectum primariò affectum* sunt, sed etiam tota arundo œsophagi, & ventriculus ob communem

nem, quam in continua expansionis serie habent cum labris tunicam, simul eximiè & innoxiè refrigerari ac humectari possunt. Ore verò & faucibus sic attemperatis, seu refrigeratis, potest deinde, si adhuc adpetatur, largior quidem potus assumi, sed pro regula habendum est, ut πολλάκις, καὶ κατ' ὀλίγον, *sæpè & parum*, non βιαίως καὶ ἀθρόως, *confertim* & *impetuosè* bibatur.

(8 Addimus, in omni siti, ipsorum etiam sanorum probè unicuique considerandum incumbere, *unde contingat sitis?* an nimirum natura aut *ex necessitate rei suæ œconomicæ*, aut propter calorem in toto corpore auctum, aut verò ob calorem & ariditatem hujus vel illius partis tantùm, v. g. oris, faucium, uvulæ, epiglottidis, laryngis eam instituat. Nam sicuti modò monuimus, sæpè in dictis partibus causa sitis vel solùm vel primariò latet; Quemadmodum autem in prioribus casibus potus frigidus indicatur; ita, ubi causa saltim in faucibus latitat, quia tunc non vera sed ementita causa sitis adest, melius est, fallere sitim, & loco frigidi potus, eluitiones oris aqua frigida, gargarisationes, & similia sitim fallentia adhibere.

Tandem (9.) Potum *nive* & *glacie*, externè vasis, potulenta continentibus, adpositis frigidum redditum bibere, cæteris paribus sine noxâ licet quidem, ut intemperies corporis calidior, à validiori remedio ad æquilibrium, & naturalem statum reducatur; sed glaciem ipsam cum potu deglutire, sanitati quàm maximè nocet; idem sentit laudatus *Pisanelli l.c.p.163* dicens: Modus *per nivem* omnium laudibus decantatus, modò ei *non permisceatur*, quod bibimus, sed per contactum refrigeret, non adspernendos edit effectus.

Ex hactenus prolatis nunc apparet, *quod* & *quomodo potus frigidus tempestivè sumtus* ad sanitatem integram conservandam, & tuendam *citum*, *tutum* & *jucundum* sit auxilium, & alimentum verè medicamentosum. Minimè ergò negamus, imò ipsi statuimus, quod potus, ut plerumque omnis, tàm calidus, quàm frigidus, ita vel maximè frigidus *intempestivè* sumtus, hoc est, si aut jejuno stomacho, aut ipso debili, & nervoso genere nimis sensibili & delicato existente, item si post cibos calidiores, post pinguia, aut dulcia comesta, aut post nimium animi & corporis motum, atque hinc calorem vehementiorem excitatum, aut *in* balneis, vel *statim post* ea sumatur, ut & si non adsueti, aut otiosi, pituita abundantes, naturâ frigidiores, & ad frigidos morbos dispositi, pulmones quoque debi-

debiles habentes, ſenes, gravidæ, puerperæ, ad colicam proni, & hujus ſortis alii frigidum intempeſtivè & immoderatè bibant, facilè noxas illas, quas in frigidi vituperium longa ſerie auctores objicere ſolent, excitare poſſit; His ergò ſuis allatis exemplis & obſervationibus nos non feriunt, ſiquidem omnia illa incommoda, ſi circumſtantias rectè perpendunt, ab intempeſtivo ſolùm uſu orta eſſe deprehendere poſſunt. Germani noſtri rectè dicunt: Mann kan auch des Guten zu viel thun.

Sed cum rem tribus explicare chartis nobis propoſuerimus, videamus autem eam ſub crenâ excreſcere, plura, quæ in laudem potus frigidi adduci poſſent, omittere, & feſtinando ad finem, ea ſaltim, quæ adhuc ex definitione reſtant, ultima ſcil. verba, paucis expedire jubemur. Sunt autem hæc, quod potus frigidus ſit ſubſtantia *ſine maſticatione hauſtu deglutibilis.*

Bibere & *manducare* ſunt diverſa, *hoc* fit colliſione dentium, *illud* dentium opem non expectat, nec eâ opus habet, ſed ſeptum dentium ſupergreditur. Nam hauſtûs doſis una poſt alteram in fauces ex vaſe bibitorio effuſa, ſine mora, continuo ordine, & quaſi concatenatim, dum epiglottis laryngem obtegit, ſuper eam in œſophagum detrudi & deglutiri debet; præterea, quia potulenta non ſunt ſolida, ut comminutione, maſticatione & ſalivali humectatione indigeant, hinc ſine maſticatione & colliſione maxillarum in fauces effuſa deglutiuntur.

Mos fuit apud Priſcos in conviviis *magiſtros* οἰνόπτας eligere, qui præſcriberent *modum* cœnæ, & quantum quisque, & quomodo *temperatum* biberet vinum. *Modiperatores* ſeu Modimperatores iſti obſervaſſe dicuntur ſcitum illud ſeverum: ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι, *aut bibe, aut abi.* Liceat mihi, benevole Lector, eâdem formulâ Te, ſed non niſi amicè alloqui: *aut bibe temperatè frigidum* potum, aut ſi eum, forſan ob adſuefactionem, vel ἰδιοσυγκρασίαν averſaris, *abi*, & *ex calefactum tibi elige*, uterque TIBI PROSIT!

Tantùm in præſenti de hac materia;
Sed quia DEO meo tantum, quantum laudis debeo, nunquam ſatis dicere poſſum, ipſi

SIT LAUS, HONOR ET GLORIA
IN ÆTERNUM!